CATENA,

SIVE

ELEGIÆ QUATUOR

effusæ in vinculis per

R. K.

Dum apud Hibernos Ultonienses octo prope mensibus detineretur captivus.

Quibus accedit *Satyra Æthiopica*,

SIVE,

SPECULUM BRITANNICUM.

AUTHORE

JOHANNE *Jacobitarum Abissinorum Archipresbytero & Principe.*

Ex Fragm. Corn. Galli apud *Cœlium.*

Fortiter ille dolet qui caret atq; dolet.

LONDINI,

Typis *J.Y.* & Impensis *A.B.* 1647.

Ad Lectorem.

LEctor, abortivum, licuit mihi lambere, fœtum,
Nec te (quod verear) nolle licere juvat.
Tolle tamen, qualem qualem dolor edidit; artis
Quo minùs, hoc lachrymis gratia major, ineſt.

CATENA.

INSCRIPTIO

Ad *Paulum Daviſium* Equitem Auratum Dublinenſem.

Paule mihi primus memorandus, & ultimus, inter
Regno Cordatos inſipiente Viros.
Qui memor officii ſimul in Regémque Deúmque,
Rarus poſſe doces numen utrúmque coli.
Et quamvis ſapias, quantùm nec fortè ſacerdos,
Et dicas meliùs, quòd jubet ille facis.
Quæque tua eſt pietas, inopes *ſpoliatus* & ipſe,
Ære, patrocinio, veſte domóque juvas.
Inter ego multos hoc triſti tempore frigus,
Nec tantùm per te frigora, pello famem.
Cætera, ſi demas quæ ſunt communia Vatum,
Chriſtophori hæredem tu mihi fratris agis.
Vidimus everſos hominúmque boúmque labores,
Cúmque viris peſsùm vidimus ire boves.
Vidimus incenſos (quibus ipſe pepercerat hoſtis)
Suppoſitis flammis cum lare (*Paule*) libros.

Non ego ſola fui ſcelerato præda rebelli:
Diteſcit ſpoliis *Scotus* & ipſe meis.
Unas mentis opes, paucáſque in carmine vires,
(Sed quas imminuit *carcer*,) ab hoſte tuli.
Non damnoſa venis, ſpolia inter, & odia tantùm,
Fers inſperatam, víxque rogatus opem.
Quid facis ah demens? profundis inutilis aurum;
Solus ad amiſſas curris amicus opes.
Quin niſi ſint alibi, *meritis* rata præmia tantis,
Infelix *pietas*! quid quod ametur habet?
At quod ametur habet, rata ſunt & præmia, quam-(vis
Debeat, & per ſe *nuda* placere poteſt.
Ipſa ſui virtus præcium, virtute lucellum
Sit tibi qui captat, *proximus* ille malo.
Ne tamen ingratus videar, paritérque moleſtus,
Eſto patrocinium noſtra *Catena* tuum.
Quámque tuam nolo, quaſi tu victurus in *illâ*
Hoc ſat habet *tecum* ſi queat *illa* legi.

Ad *Thomam Seel.*

Eleg. I.

OPto *Silee* tibi, quam mittere malo, ſalutem.
(Sed vult vota ſuper viribus eſſe Deus)
Si quæras quid agam, nihil eſt quod agatur apud
Spiro, nec poſſum dicere *vivo* tamen. (nos,
Quotidiè morior, lethúmque minantur in horas,
Pila, globus, ferrum, ſpicula, fica, faces.
Quocunque aſpicio, nihil eſt niſi ſanguis, & hoſtis:
Nec mihi quà fugiam, parva, vel ulla Zoar.

Fluminibus

Fluminibus ſuperant humana cadavera piſces:
Nullâque, non *noſtro*, tincta cruore, palus.
Semiſepulta jacent multorum corpora, multos
Ceſſite vix tectos, [illegible] ab axe videt. *Phoebus*
Plurima turba *canes*, & plurima turba ſepulchrum
Corvos, & *milvos* (ſi mihi credis) habent.
De tot *Brutigenis*, quos hìc modò videris *ipſe*,
Quantula jam reſtat, mox *peritura*, cohors?
Si quis *legitimis*, ruat, & *cadat* hoſtis, in armis,
Vindicat in noſtrum turba propinqua caput.
Nec ſine labe ætas, nec ſexus inutilis armis,
Præſidio pueris, virginibúſve, fuit.
Rupta cruentato *prægnantia* viſcera ferro
Vidimus, & *vivum*, ventre *jacentis*, onus.
Mergitur, & *medius* propendet ab inguine fœtus,
Dum nuda in fluctus pellitur enſe *ſoror*.
Hoc tantùm felix puer, atque puerpera, ſorde,
Fluminis hunc, illam *ſanguinis* unda, lavat.
Ille *Thyeſtæum* vivus torretur ad ignem,
Toſtus & ad rapidos ponitur *eſca* canes.
Ictibus *hic* ſtimulo repetitis *podici* adacto,
(Iſtáque *Libertas* ſacra *Decembris* erat)
Inter tortores, deriſoréſque profundit
Infelix animam, dum *cadit* atque *ſalit*.
Si bibitur, *mensâ* religatur funibus *Anglus*,
Quíque *bibit*, ſtricto perforat enſe latus.
Sic *numerant* calices ex vulnere, fiat ut *unum*
Vulnus, & admittat multa feneſtra necem.
Nupſerat *Hiberno* jamdudum virgo *Britanna*;
Fecerat & *ſextâ* prole marita, patrem:
Sed neque *pignoribus*, proprium, pater abſtinet enſem,
Nec *mater* tanto pignore tuta fuit.

Sive

Sive tamen Casu, seu Fato contigit, Anglum
(Quod scio) tollit adhuc nemo puella virum.
At nè forte putes, non insanire *puellas*,
Sanguinis hîc puras, vix habet ulla, manus.
Quódq; minùs credas, non tantum cædimur hoste
Fœmineo, *pueris* turba cruenta sumus.
Hactenùs à paucis, si paucis parcitur, illos
Non pietas tutos, sed *Lanienæ*, facit;
Nè nova non semper crudeli suppetat hosti,
Quámque metat semper, læsus ab hoste, *seges*.
Post homines *armenta* luunt, pars mulget eandem
Et *mactat* vaccam, pars *cute* torret oves:
Pars in frusta boum *spirantes* dissecat artus,
Membráque adhuc *vivens*, taurus in igne videt.
Quid memorem prædas? (nisi me dixisse *rapinam*
Malueris) omnes abstulit hostis opes;
Possidet hostis *agros*, propellit ab *ædibus* hostis,
Nostráque nunc hosti est omnis, & omne, *pecus*.
Numen in auxilium votis precibúsque vocamus,
Mutus at ad nostras vota precésque Deus.
Carole clamamus, teneros Lupus impetit Agnos,
Níque feras celerem (*Carle*) perimus, opem.
Tardior aut justo nostræ est tibi, nuncia, cladis,
Aut superat, nondum *credita*, fama, fidem.
Quid quod & ipse *Anglus*, vicinus & accola *Scotus*
Spectârunt locis vulnera nostra genis.
Noluit, & poterat *parvo* discrimine utérque
Quâ multi fugerent, apperuisse viam.
Non deerant vires, deerat fortasse voluntas,
Forsitan & fuberat causa *pudenda*, timor.
Cladibus *accedunt* nostris mendacia, rumor,
Famáque venturi, nulla, vel illa mali.

Hostibus

Hostibus arbitrii libertas, *dicto* Britannis
Plectitur, & multis spes *capitalis* erat.
Nec quamvis ea sint nunquàm coeuntia, nostris
Vulneribus nobis ingemuisse licet.
Quà licet occulto tamen indulgere dolori,
Fletur, & intepidos defluit unda sinus.
Nec semèl exiguo flentes pia murmure verba
Fundimus, & *Domini* voce rogamus opem:
Quam velit esse ratam, qui novit, & omnia possit,
Adde tuas nostris, oro, Silaee preces.

Ad *Davidem Michellum.*

ELEG. II.

QUam *Michelle* legis, gelida pervenit ab Arctо
Littera, vix stabili charta notata manu.
Mentis opus *vacua* carmen, vatémque recessus,
Et tranquilla quies, otia, & umbra juvant.
Inter ego *Saxum sacrum, reverberor*; undas,
Et metuit scopulos, quos habet unda, ratis.
Si maneo, *vacuis* dominatur in ædibus Hostis,
Parváque, vel nunc sum pars ego nulla domûs.
Moliar annè *abitum*? desunt viréque dueéque,
Et patet in nullam semita tuta fugam.
Sive dies abeunt, seu tristis tempora noctis,
Perstat in *occasum* janua aperta meum.
Supremam reputo, quæcunque supervenit horu,
Afferat *incertus*, quæ mihi dextra, necem.
Utque ego prætulerim *tali* mea funera vitæ,
Carnifices nollem, membra subire, manus.
Ter felix, rapidis quisquis submersus ab undis,
Piscibus *hospitium* quæ fuit, atque *cibus*.

Ille

Ille *semèl* periit, pallentibus additus umbris,
Rebus ut incertis sic vacat ille metu.
At nunc rara ferunt *celerem* compendia mortem,
Pérque juvat longas enecuisse *moras*.
Vulnera bis deciès ferro repetita cruento,
Víxque ferunt totidem lignea pila necem.
Mitior est *primo* quicunque interficit ictu,
Et facit, ut lato tramite sanguis eat.
Nam nostrum, ut sitiat sine fine modóque, cruorem
Hostis, at hunc *lentis* haustibus ille bibit.
Vivat adhuc (vivátq; precor) cui térque quatérque
Tristia per laquei vincula guttur iit.
Accidit hoc illi, quod multis accidit, *aurum*
Ut fassus, nullo jam prohibente cadat.
Hei mihi, quam vereor, nnmero nè ponar in *illo*,
Cum quas non habeam, *condere* credar, òpes.
Sorte (nec invideo) felicior est tua nostrâ,
Amborum nostrî sors sit acerba licet.
Tu procul à patriâ, patriam sed *liber* anhelas;
Est mihi nunc *carter*, quæ fuit ante domus.
Copia nunc rerum minor est tibi, quàm fuit olim,
Tu tamen, hanc vitam quô *tuearis* habes.
Inter aquas sitio, pereóque famelicus inter,
Quæ mihi non crescunt, consita poma meis.
Barbarus hîc *Epulas* vorat, & sibi vendicat omnes,
Quas minùs esuriat, *conspuis* ore, dapes.
Tu quibus invigilas, *circumfers* fortè libellos,
Exilii comites, exiliique duces. (rum,
Quæ lego mentis inops veterum monumenta labo-
Hæc *oculis* tantùm, non ego *mente* lego.
Ingeniúmque meum (si quod fuit antè) retundit,
Qui mihi sollicito concutit ossa, timor.

Tota

Tota tibi domus est *puer*, & tua cura *Catellus*,
Vernarum innumerum pasco, canumq; gregem.
Hæc mihi turba *vorax*, mensis adhibenda *secundis*,
Post hos, natorum cuilibet *esse* licet.
Inter inhumanos quæ passus *Naso Tomitas*,
Non sunt cum nostris æquiparanda malis.
Reddidit is *vero* majora pericula cantu;
Quod patior superat vulnus ab hoste fidem.
Ille suis sensit mollitum versibus *Istrum*,
Barbarus hîc nullâ flectitur artis ope.
Adde quod *Aonidas*, quas non intelligit, odit;
Nec minus in *Sophiam*, quam furit ille *Sophos*.
Est ubi militibus *coxerunt* prandia chartis,
Præbuit & multis Bibliotheca *focum*.
Quid *mea* passura est, quid sim passurus & ipse,
Et quando, (ut dignum est) me fugitiva latent.
Me *mea* fata minùs, tangunt me fata *meorum*;
Sed mihi ferre dabit, qui facit ista, Deus.
Interea supplex numen venereris, amicum
Ne sua destituat, tanto in agone, *fides*.

Ad Phelemidum O Neyle.
Elec. III.

AB ipso *Perduello* rogatus, ut Poema aliquod de rebus ejus gestis conscriberem, sed quo summam suam sævitiam vel dissimularem, vel excusarem: cúmque nec abnuere sine *vitæ*, nec annuere absque *conscientiæ* dispendio integrum foret; mediam viam ingressus, hanc ad illam *Epistolam* dedi: quam quidem primò gratissimam habuit, verùm postmodum à *sacrificulis* suis edoctus, nihil in ea reperiri quod ad solidam ejus laudem pertineret, unà cum *Authore* contempsit; servulos meos & clientes, (& in his *Jacobum* fratrem) numero 56. ad unum omnes, & eodem

die crudelissimè interfecit, supellectilem (præter *librariam*) omnem diripuit: & cum uxorem, liberósque (sed non sine commeatu militari) *unàdos* dimisisset, diligentissimè apud *Catharinam* matrem custodiri me jussit, mulierem sanè non pessimam, si *filios* non omnium pessimos peperisset. Illa duobus post mensibus, cum Britannorum copias declinaret, *recusantem* ulteriùs pertrahere noluit. Libertati restituit *Georgius Raydon* Centurio fortissimus, cui (secundùm Deum) tum libertatem, tum vitam debere me fateor. Bibliothecam constantem bis mille (præter propter) voluminibus, unà cum domus parte multò maxima incenderunt *Reformatores Scotici*, ut eodem nempè compendio, & domum ab hospitalitate, & à *Papismo* libellos expurgarent. *Elegia* autem ipsa ejusmodi est.

NOn potes ut videas Elegos, nescire *Poetam*,
Mittitur ista tibi, quo *Phœbemide*, salus.
Quod minùs eſuriam, nec dum de *Fonte fatelles*,
Quod non flagranti concidit igne *domus*:
Muneris esse tui fatsor, semperque fatebor,
Tu modo *perpetuum* quod facis, esse velis;
Perpetuúmque voles; nec enim mea *funera* tanti,
Nominis ut cupias non sine *labe* tui.
Trans *hostem* video veterem non hostis *amicum*,
Spémque facit vitæ non moriturus amor.
Turpe *clienti* erit maduisse cruore patronum,
Turpe erit effœto, rumpere fila, seni.
Nec mihi queis nocerem, nisi quæ *pro miseris* arma,
Nec mihi si qua forent arma, nocere queam.
Quòd si fata meis pugnent crudelia votis,
Et *mihi* non liceat parcere, parce *meis*.
Quid nocuisse potest prægnans sine viribus *uxor*?
Turba quid *infantum*, turba sit illa licet?

Excipe

Excipe *vagitum*, nihil eſt quod terreat *infans*,
Nec tibi *magnificum*, fœmina juſſa mori.
Si creat invidiam quod nondum fio rapina,
Si mea finitimis *invidioſa* domus;
Non ego vel nudus, vel debilis ire recuſo,
Debilis & nudus fac modò *tutus* eam.
Victoris retrahit non certè inamabile pectus,
Tum mihi plus aliis ſæpè *probata* [a] fides:
Miles, & armorum qui me circumſtrepit horror,
(Ut nil ſim paſſus) ſuadet inire fugam.
Molle mihi cor eſt, & corpus ad otia natum,
Non nobis etiam vulnera facta nocent.
Seu *lupus* horreſco peracutâ cuſpide ferrum,
Quod tot militibus pendet ab *ante* tuis:
Quódque *mihi* fuerat nuper per pectus iturum,
Frater *Alexander* cum tulit, ultor, opem.
Illum ego non timui, qui me *defenderat* enſem,
Sed fuit *ebrietas* cauſa modúſque mali.
Intereà minùs id juvat evaſiſſe periſcli,
Quàm quod *Alexandro* vindice tutus eram.
Non ea longa tamen, ſed nec ſyncera voluptas,
Quam tanti *excipiunt*, inficiúntque metus.
Scribentíque iſtæc, jam nunc narratur *abactas*,
Quæ me paſcebant ubere, carne, boves.
Si repeto *occidor*, ſi mittitur ire rapina,
Cinget dira meos obſidione *fames*.
Nec querorut *plectas*, damno vindicta periſclum
Addiderit, magis & ſoſpes, *inultus*, ero.
Quíque tot [b] *unus* alis ſubductos morte Britannos,
Non potes in *Muſas* non magis eſſe pius.
Sis licet, & dici cupias *immitis* in armis,
Audet at in victos dicere nemo trucem.

a Nunquam approbata.

b Quos omnes paucis poſt diebus, immiſſis ſicariis occidit.

Qui cruor his fluxit, per te non fluxit c inultus,
Inque *tuos* nobis d *quæstio tanta* nocet.
Sic tibi quem debet generum det *Sara*, tuúsque
Sic eat *Henricus* major ad arma Patre.
Sic tibi quæ penitùs *Venus* est infixa medullis,
Contingat *toto* digna puella duce.
Sic *circumvolitet* dubiis victória pennis,
Tu quoties Aquilas in fera bella moves.
Sic tua fata olim grandi, quæ maxima, plectro,
Belláque, *sublimis*, te duce gesta, canam:
Captivum ut præstes, tanto discrimine salvum,
Seu migrare jubes, sive manere, e *tuum*.

c Ob cædem Caulfeildianam è suis sex, sed innocentes (Homicidis dimissis) reste peremit.

d Quæstionem habuit in occisores Anglorum tum præcipuè, cum eos voluit occidi.

e Captivum me suum quis neget?

Ad R.P. Jac. Archiep. Armachanum.
Eleg. IV.

De Canibus, & Gallis gallinaceis, qui duabus primis Rebellionis Hibernicæ noctibus, per agrum Armachanum & Tyronensem, (ubi prima Britannorum strages, & omnium post maxima perpetrata est) à latratu planè & Gallicinio abstinuerunt.

Præsul ab occasu, quo nemo, solis ad ortum,
Vel sophiâ par est, vel pietate prior;
Mitte tuas *tineas* paulóque quiescere *blattas*,
Dum legis hic Gallos, & sine *voce* Canes.
Nox erat, & totum latuit caligine cœlum,
Nox erat, & tenebris horror & error erat.
Nox erat æternis vix mensurabilis horis,
Una erat in nullam nox abitura diem.
Ecce ferox *jaculis* gens omnia rupit, & aufert,
Quicquid habet *Scotus*, quicquid & *Anglus* habet.

Furtáque

Furtáque dum peragunt, & miſcent *cæde* rapinas,
(Vera cano, ſed quæ vix habitura *fidem*)
Nuncia lucis *avis*, nec *provocat ore* diem, nec
Latratu dominos *admonuere* Canes.
Forſitan (ut nunc eſt) *præſagus* utérque futuri,
Indoluit propriis, hac ratione, malis.
Námque Canes noſtrâ *depaſti* carne, furentes
Tum ſibi, tum dominis bella cruenta movent.
Et poſtquam auxilio ſeras licet *Anglia* Turmas
Intulit, & lentam *Scotia* miſit opem,
Jam *Titanis* avis, latebras nè prodat heriles,
Occidit, & multis eſca *ſalúſque* fuit.
Ætati proprium noſtræ, fœdúſque ſtupendum,
Quo *conjurarunt* Gallus & ipſe Canis.
Et *vindicta* ævo forſan nec nota *priori*,
Quâ modò dant pœnas Gallus, & ipſe Canis.
Neglectum officium ſi damnat avéſque, canéſque,
An qui *perfidiam* non luiturus erit?
O ſim vanus ego vates; Mitiſſime rerum
Carole, parce *hircos* plectere, plecte *lupos*.

Satyra

Satyra ex Æthiopia. Authore Presbytero Johanne.

Author & Occaſio.

Presbyter Johannes (qui & apud ſuos *Rex* eſt) ſolenni duorum Regnorum *Fœdere* perculſus, nè malum extra *Britannias* ſerperet, de ſuppetiis *Anglorum Regi* ſubmittendis, ſeriò cogitare cepit. Verùm à *Mercatoribus* quibuſdam Londinenſibus, qui apud *Æthiopes* mercimoniæ gratiâ commorantur, ſubmonitus, conjuratione iſtâ addi *Presbyterio*, quicquid *Majeſtati* detrahitur; juxtà ratus, *Rex* an *Presbyter* ſummâ rerum potiretur, Fœdus noſtrum adeò non eſt improbatus, ut ſuis etiam permiſſurus tum temporis videbatur. Perſuaſus (quod & res eſt) *Regalem* dignitatem & titulos, *quocidiano* uſu vilefcere; & quos regere *Presbyter* poſſet, *Principi* nunquam rebellaturos. Hoc cum ſuboleret Mercatoribus (naſuti enim ſunt & ad rem attenti) porrò Imperatori oggerunt, eſſe apud *Anglos* qui priſca *Saturni* ſæcula ſibi ſomniantes, nec *Presbyteros* curent nec *Principes*, in eos omnem totius Inſulæ calamitatem rejiciunt, ut qui ſolenni ſe *Fœderi* opponant, idque propter conſcientiam. Orant igitur atque obſecrant, ut vel *gladio*, vel *calamo*, laborantibus in extremo terrarum angulo *Sympresbyteris* opem ferat. *Jacobitarum* ſuam (aiunt) factionis Coryphæos ſuſque déq; laturos, modò in novum fœdus *juraverit*. A *Synodo* nihil non ſperandum, quæ in hæreſibus ſive propagandis, ſive profligandis, juxtà promoverit. *Pugnam* denique demonſtrant eſſe facilem, *victoriam* certam, *eamſámque* eſſe ejuſmodi, ut pro ea pugnare, non tam

tam sit inire pugnam, quàm victoriam sequi. His victus potentissimus ille Christianorum *Recutitorum* Princeps (quamvis sit quà *Presbyter*, levis, credulus, & mediocriter tantùm doctus) quò minùs pollebat, calamo arrepto, sequentem, in quos *nescit*, *Satyram* effudit. Presbyteralium in eo Mercatorum fidem (ultra Æquatorem satis pertusam) sequutus: quam & nos majori omnino *fide*, quàm *calore*, ex lingua *Æthiopica* in *Latinam* traduximus. Vive, Lector, & (*si potes*) vale.

Satyra.

NIl rerum sub sole novum, si *Davide* nato, (hic est
Nemo hominum novus est, *Samio* si credis, &
Judicio *Phœbi* sapientior, ille *Tonantis*.
Omnia per me sint eadem *repetita*, duobus
Tantus ego non sum, qui solus inutile pugnem.
Vidimus at certè multum non *quale* priores,
Nulla forent aliter *miracula*. Rex fuit olim
Summus in orbe suo, nulli submittere fasces
Doctus, & imperii fuerat *cœlestis* origo;
Nunc fluit *à populo*, cui *Regibus* esse fecundis
Summus honoris apex, & *jussa* capessere regnũ est.
Vulgus iners, monstrúmque ingens, & *bellua* nuper
Multorum capitum, sed talpâ cæcior, *Argo*
Plus videt, & sapuit; jam non ignarus, ut ante,
Rectores regere, & circundare legibus orbem.
Quid quod mortis opus (sed morte ferocior ipsa,)
Nunc quoque plebs agitet, dum *Sceptra Ligonibus* æquat.
Scotia quam vomuit, malesana resorbuit, *offam*,
Et nunc eructat, furiosos devovet omnes,

Nasilo-

Nasiloquosque Ministellos. Miratur, & odit
Ipsa suas *artes*, nocitura nepotibus *arma*.
Sævior illa lupis, quos sævos gignit *Iërne*
Sperat ab *exemplo* veniam. Quid fecimus, inquit,
Vile, sed innumerum nobis caput occidit, at quod
Tornatum fuit omne. quid audio? nemo *quadratus*
Millibus in *centum?* nemo fuit, herculè nemo,
Viscera compertum est scrutantibus esse *Rotundos*.
Anglia, quæ visa est modò gens liberrima, servit,
Et servire libens didicit; captiva triumphat,
Sanguine læta suo, spoliisque ferocior, instat
Vindicibus; propriis *porrò* casura sub armis.
Quæ fuit in precio *pax*, exulat. odimus artes
Quæ non ad bellum faciant. Hic cingitur ense
Quem metuit, stimulo gnarus propellere tauros:
Sed rudis, & tam miles *iners*, quàm *fortis* arator.
Qui sine Lege ruit, bis denos legibus annos
Impendit, *rostris*, quàm castris aptior Heros.
Bucephalo qui pugnat, erat modò miles Amoris,
Conscripsitque *Elegos*; sed nunc horrentia *Martis*
Bella per *Æmathios* gerit *incivilia* campos.
Ni fallor, Mercator is est, qui totus in ære
Conditur, excepto (quod non *galeabile*) cornu.
Quid maribus facias? cum se vix abstinet armis,
Cui *Lucina* facit, quantum non prælia, *vulnus*.
Quæritur insano strepitu, & molimine magno
Dividuum imperium, Regnum quo nemo regatur
(Si demas *Regem*) magnus *sine milite* Princeps,
Cui liceat quodcunque libet, sed *plebe* jubente.
Quis Regnum tulerit? moderari *forcipe*, sceptris
Assuetum: aut figulo rumpi *Lictore* columnas?
Sed cedò, qualis erit Res olim publica, si te
Fullonésque

Fullonésque omnes, jam videro, (*Tuccia*) *regentes*.
Nempe *anima* ut toto tota est in corpore, tota
Quolibet & membro, simili ratione *potestas*
Plebe inerit; pulsa, vel cum Diademate, *Mitrâ*.
Sub *paritate* jacet quicquid discriminat à me
Regem, Pontificem, sapientem, nobiliorem,
Si quis ad arbitrium vivit, se principe, Rex est,
Et mundo imperitat sine fascibus ipse minori.
Res cervicis erit *duplicis*, dare jura *duobus*,
Utque regi cupiant, aliis *par* esse regendis.
Nam malè cum *paribus*, vel mens componitur *impar*.
Nec quia displicuit Regnum, *scelus* odimus, ergo
Displicet imperium, quod cædem *cæde* rependat,
Et furtum furto. Spoliatur viliùs unus,
Quàm duo. Qui punit, quod non *reparabile*, damnũ,
Duplicat, & stultus sceleri dum *detrahit*, addit.
Per nos nil prohibet quin sit Deus *unus*, ut ante,
Religio tantùm ne sit, curabimus, *una*.
Cúmque sit *ob* mundum *Deus*, ut quoque *pro* popu-
Si regnare cupit, *per se* licet imperet orbi. (lo *Rex*,
Non per quos nequeat mundus jam ferre *Monarchas*;
Aut secum æternum producat *Parlamentum*,
Quod minuat regimen, curásque *addendo*, fatiget.
Et quia si *Deus* est, (quod nos tenus *ore* fatemur)
Religione aliquâ cultoribus est opus, at quæ
Cultorum sapiat jam *prægustata* palato.
Quocirca *majorus* erit, quæcunque *minori*
Constiterit pretio; votis precibúsque *litatur*,
Non Decimis. *Sermonem* addas, & omnia fiunt,
Si fiat *sartore* bono, non *præmeditatus*.
Nil opus *æde* Deo, molli nec in æde Cathedra,
Organa non audit; *Cantores* inter amicos

Vix habet; ad Romam facit infula, præsul, & ordo.
Quisque sibi *lex* est, Ecclesia, victima, Templum,
Intus enim spirat qui frustrà quæritur extrà.
Néve queri possit, sublatos *ense* ministros,
Adsit ei *Automedon*, vel qui coquit *ova*, Sacerdos.
Nam cum sit *simplex*, simplex placuisse Minister
Debet, & à mensa quæ non ita *discrepet*, ara:
Cui *Commensales* discumbant poplite *recto*,
Accepti hospitio *civiliter*, à patre *fratres*;
Qui licet esuriant, erit *hospes ab hospite tutus*;
Quippe *Deum* esuriisse nefas epulonibus istis.
Siste; perorantem non sum te (*Tucca*) ferendo,
Siste inquam nebulo. Sed non desistimus, inquis.
Monstrum & propudium! summa jaculator ab arce
Dum *novus* & *minor es*, *Pigmæum* fige gigantem.
Nulla domus steterit, nullo *tibicine* fulta,
Porrectæque ruunt, *moto* fundamine, turres.
Sic, nisi *Religio* prohibet, compage solutâ,
Solvitur *imperium*; socialia fœdera rumpunt,
Qui primùm feriere: scelus de jure triumphat,
In fas omne nefas, abeunt in *crimina* mores.
Nulli unquam licuit *tuto* contemnere numen:
Sed *spoliare*, nefas, quod nè laturus *Apollo*.
Multa Deo *manus* est, & mirâ ulciscitur arte:
Quod peccat mœchus, quandòque *reponit* adulter:
Tollitur à densis nuper *Catilina Cethegis*,
Atque in *perfidiam* gladium strinxere rebelles.
Ergo igitur patimur, quæ non patienda, *priores*
Quòd quæ non fieri debebant, fecimus ipsi.

Mantisa.

Mantisa.

Thomæ cognomento *Versificatoris*, Harioli olim apud Scotos, de bello & pace judicium.

OMnes cum *Bellum* dicúntq; putántq; futurum,
Pone metum, quoniam tempora *pacis* erunt.
Omnes cum *pacem* dicúntque putántque futurum,
Bellum erit, & belli longa futura *mora* est.

In G.V. Davidem Jenkinum Jurisconsultum, & Judicem moribus antiquis.
Epigr.

Arma inter, *Jenkine*, canunt mutescere *Leges*,
(Et puto, te nondum *Judice*, vera canunt.)
His utinam cum voce *manum*, *Jenkine*, dedisses;
Legibus hîc *vox* est, prætereáque nihil.

Aliud in eundem.

Qui *Bruti* fuerat, nunc *Saxonis* est ager; ut vix
Agnoscat *nomen* terra *Britanna* suum.
Jenkine id dolult, *pulsasque* ab Saxone Leges,
Suscipit errantes, hospitióque fovet.
Hísque potitus ait, potiatur *stercore* victor,
Hæc facit ad stomachum, sola *rapina*, meum.

Sed

Sed quod miroris! omnibus tenet Angelus [illegible]
Fenkinus Leges restituisse cupit.

Ad Gallum Medicum.
Epigr.

Atrophus emorior, *febrienti* pharmaca misces;
Unde tuâ videor bis periturus ope.
Mitte quod æger *edam*, non quod potémque *vomámque*,
Nec totum calor est, sed nec *origo*, mali.
Si sanare cupis, totúmque expellere morbum,
Prima levanda *fames*, proxima, *Galle*, *febris*.

De Fide & Operibus.
Tetrastichon.

Bello etiam locus est? & res discordia sacras
Turbat? in arma ruant sic *opus* atque *fides*,
Esto operosa fides, nec non opus esto fidele;
Et sine Marte fluet sic ab utróque salus.

Coronis
Ad Richardum Busbium.

Si nisi post *Cygnos* piget obstrepuisse *Cicadas*,
Perlege *captivi* flebile Vatis opus.
Utque meis *Lector* contingas versibus *unus*,
Unus myriadum, *Busbius*, instar eris;
Novimus insipidos, sed nosti tu quoque multis
Quod fuit insipidum, sæpè fuisse cibo.

FINIS.

123571